Sit omnibus notum quod nos Beatrix dei gratia abbatissa monasterii sancti Danielis Gerunde per nos et per omnes nobis succedentes in dicta abbatia promittimus firma stipulacione tibi Ferrario
Artalli pellipario et tuis, nos facturam et curaturam cum effectu quod omnes domine moniales dicti monasterii hinc ad festum sancti Michaelis primo venturum, et de eodem festo usque
ad duos annos continue completos et sequentes firmabunt tibi et tuis et laudabunt illud donum et stabilimentum quod nos tibi fecimus de quadam nostra trocia terre quam habebamus
pro nostro alodio et ad culturam propriam tenebamus in parrochia sancti Stephani de Saltu. quod affrontat a borea in clauso tuo, a meridie in honore nostro residuo, sicut divi-
dunt termini, a borea in fexia mansi tui Artalli, a circio in via publica, prout in instrumento ipsius stabilimenti hodie confecto, latius continetur. Quod firmamentum
dicte domine tibi fecerint absque aliqua tui et tuorum missione. Et nisi hec fecerint hinc ad dictum terminum, deinde infra decem dies post tui vel tuorum monicionem verbo
nuncio vel littera, nobis factam restituemus tibi vel tuis trecentos solidos barchinonensium de terno quos tu nobis soluisti de illis quadringentis solidis quos nobis pro acapito dicti sta-
bilimenti dare promisisti. Et si pro defectu predictorum dampnum aliquod vel gravamen sustinueritis tu vel tui vel missiones aliquas inde feceritis quecumque in totum tibi
vel tuis restituere promittimus et inde credamini vestro simplici verbo sine testibus et iuramento. Et pro hiis tibi et tuis obligamus omnia bona dicti monasterii ubique habita et ha-
benda. Et si in dicto termino tibi vel tuis firmatum fuit dictum stabilimentum per dictas dominas ut dictum est, tenearis nobis persolvere centum solidos restantes ad
solvendum de dicto acapito. Insuper nos Berengarius de Caneto baiulus de Caneto pro dicta domina abbatissa et Petrus de Mansione et Arnaldus de Cumba de Caneto quilibet
nostrum in solidum, precibus dicte domine, constituimus nos fideiussores et principales tornatores, restitutores et pacatores tibi dicto Ferrario Artalli et tuis ex omnibus sup-
radictis pro predicta domina cum ea et sine ea in vita et morte. Renunciantes beneficio dividende actionis et illi legi que cavetur ut prius conveniatur principalis quam fideiusso-
res et epistole divi Adriani. Et pro hiis tibi et tuis obligamus omnia bona nostra ubique habita et habenda. Actum est hoc .xviii. kalendas Januarii anno domini M.CCC. unde-
cimo. Signum nostrum Beatricis dei gratia abbatisse. Signum nostrum Berengarii de Caneto. Signum nostrum Petri de Mansione. Signum Arnaldi de Cumba predictorum qui hec firmamus et laudamus.
Testes huius rei sunt Raimundus de Guarnallo iurisperitus et Raimundus Urgellesii et Bernardus de Camonibus iurisperitus.

Ego Guillelmus de Quercu publicus notarius substitutus auctoritate regia a Raimundo Simonis de Toylano publico Gerunde notario hec scripsi et clausi cum raso et emendato in
.iiii. linea ubi dicitur Saltu.

N.º 55. llibre 22 p. 175 15-12-1311 n.º 424

Carta ab que primer la abbadessa de St. Daniel
[illegible] anys ratifica [illegible]
fe a Ferrer [illegible] de terra situat a S...

Carta del ponme de
S. Daniel

Salt AC f. 73 v n.º 3 del 2.on plec de Salt

T. 302 x 199

440